Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 533
Quelle:
Copyright:

momo, floribus muſcatarum et zuccaro, item *Balneum* foliorum quernorum, ſalviae, rutae et ſerpylli, et ſic concluditur Ὑγειαστικον: *Veſtra Dignitas ſcire debet, quod omnia quecunque Vobis notaui et fideliter ſuſpraſcripſi quibus ſic continuare debetis omnibus diebus uite, quod omnia coram deo experta ſunt. Deo gratias.*

II. *fol.* 7. *Omelia beati Ambroſij Epiſcopi* in illud *Lucae* I. 39. *Exurgens Maria abiit in montana* &c. Initium: *Morale eſt omnibus, qui fidem exigunt* &c. Legitur *Expoſitionis in Lucam* L. II. edit. *Maur.* T. I. *col.* 1288. a *n.* 19. ad *n.* 30. f.

III. *fol.* 9. *Nota lectiones de corpore chriſti per octauam.* Contextae ſunt praeclaro delectu e PP. Locis, et absque diviſione decurrunt. Ordiuntur: *Credendum eſt, quod in verbis chriſti ſacramenta conficiantur* &c. et finiunt: *quia in via nos reficiens usque in patriam deducit.*

IV. *fol.* 15. *Sermo beati Bernhardi.* In edit. *Maur.* T. III. *col.* 1108. inſcribitur inter *Sermones de Diverſis n.* XII. *De Primordiis, Mediis et Noviſſimis*, et inſit: *Fili, memorare noviſſima tua et in æternum non peccabis* &c.

V. *fol.* 16. p. 2. *Incipit prohemium de arte moriendi.* Sic: *Cum de preſentis exilij miſeria mortis tranſitus* &c. Ipſa *Ars* in *ſex Particulas* tributa cum mantiſſa *Orationum* pro Moribundis jam *Vol.* I. P. 1. *coll.* 629. et 972. et alias indicata eſt.

VI. *fol.* 26. *Sermo beati bernhardi abbatis Clareuallenſſ. de Aſſumptione b. Virg.* Neque inter genuina, nec inter ei ſubpoſita reperi, nec ad eum pertinere putem. Brevis eſt, atque ita incipit: *Aſſumpta eſt maria in celum. gaudent angeli laudantes benedicunt dominum. Gaudent angeli gaudeamus et nos. etenim ſolempnitas agitur Marie. Que eſt hec Maria?* &c. et finit: *ſed eiusdem filij illius Domini noſtri facit gratia.*

VII. *fol.* 28. *Item alius ſermo beati bernhardi de Aſſumptione b. Virg.* Ita certa incertis junxit bona Majorum fides. Init: *Signum magnum apparuit in celo* &c. *Apoc.* XII. 1. *Vehementer nobis quidem dilectiſſimi vir vnus et mulier vna nocuere* &c. In edit. *Maur.* T. III. *col.* 1006. legitur *Dominica infra Octavam Aſſumpt.*

VIII. *fol.* 33. *Nota expoſicionem ſex vocabula ſermonis beati jeronimi de Aſſumpcione beate Marie virg. qui ſic incipit. Cogitis me o paula* &c. Expoſitionem hanc *ex Mammotrecto* ſumi dicit calx. Itaque *Joh. Marcheſinus* O. M. noti hujus, et ſub Typographiae primordia ſaepius excuſi Lexici Biblici autor non magis ſcivit, *Sermonem* hunc *Hieronymi* nomen falſo praeferre. Unde inter Spuria comparet Edit. *Vallarſ.* T. XI. *col.* 92.

IX. *fol.* 34. *Sequitur Sermo de paſſione Domini beati Bernhardi abbatis.* Dic potius: Pars *Meditationis IX. Anſelmi Cantuar.* quae legitur in edit. *Pariſ.* 1721. p. 219. f. et incipit: *Reſpice domine*